



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinae Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.2. Præmonitiones diuinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

lum auctoritatem, nihili sanctitatem, nihili assidue iteratas monitiones faciebant. Nimirum ut dolium aqua plenum, non potest alium vllum admittere liquorem; quantumuis pretiosum; ita surdis canitur auribus, quas iam illecebræ turpes occupauerunt.

II.
PRAEMONITIONES
DIVINAE.

Sed mirum est, homines delicatos, alioqui tam sollicitos, ne quod conuiuium, ne quam choream, ne spectaculum vllum iucundum negligant, hinc obsurdescere; cum clamatur, periculum esse æternorum gaudiorum amittendorum. Neque verò ab hominibus dumtaxat clamatur, sed altissima vox est ipsa patientia, & longanimitas Dei, conuersionem peccatoris tam diu expectantis. Quo argumento vtitur Propheeta Ioël, dum ait: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, & patiens, & multa misericordie, & præstabilis super malitia.* Habebat mille irascendi & puniendi causas; & iram continuit, distulit pœnam. Immo in ipsa ira clementer cogitauit, iuxta illud: *cum iratus fueris, misericordia recordaberis.* Nam, ut olim Abrahamo cælare non potuit Deus id, quod facturus erat Sodomitis, dans occasionem

Ioël. 2. 13.

Habacuc.

3 3
Gen. 18.

17.

causationem illi, vt pro eis oraret; ita Sancto quoque Nicasio reuelauit Deus, *longè antè*, se Gallias dissipaturum, causasque aperuit. Quod ipsum imminens exitium D. Nicasius Gallis prædixit, vehementer eos adhortatus, vt à vijs suis pessimis recederent, & ad Dominum Deum suum conuerterentur. Sed inueterati in malis, non credunt, quidquid eis mineris, aut certè non curant. Itaque & Galli neque S. Nicasium, neque S. Anianum acriter monentes audire uoluerunt, aut eorum mandatis auscultare; iram sibi diuinam semper magis ac magis thesaurizantes. Porro quid sit vel paucos pios esse in ciuitate, aut pro ciuitate patronos, etiã in Abrahamo diuinæ litteræ declarauerunt. Nam si vel decem iusti in Sodomis fuissent, deprecante Abrahamo, propter decem iustos Deus omnibus Sodomitis pepercisset. Ad eundem modum ob S. Nicasij & S. Aniani merita ac preces, ira indignationis Dei diu fuit dilata, signis multis de celo ostensis, & cometa, terræque motu præeunte.

Dilatâ, inquam, non ablatâ, nam sicut
torrens, vbi repagula perrupit, fortiùs
ruit; ita furor Domini collectus diu, erum-
pit.

III.
PER AT-
TILAM
PVNITI
GALLI.